

proportionaliter etiam de minoribus differenda sunt, quantum nempe attinet ad Præscriptiones, contra defunctum jam inceptas.

- 83 Stryck. d. cap. 5. num. 5. & seq. Verum de Præscriptionibus, ex persona minoris originem nactis, distinctione inter Præscriptionem nominatam ac innominatam utendum erit: & quidem Præscriptio nominata, si ordinaria sit, non currit contra minorem, veluti probatur ex textu apertissimo in l. non est 3. Cod. de Præscr. longi temp. currit verò, si extraordinaria sit ob textum non minus luculentum tum in l. scis 3. Cod. de Præscr. 30. annor. ubi habetur, pupillis, adveniente pubertate sub curatore constitutis, 30. annorum intervalla æque ac majoribus præjudicare; tum in l. ult. Cod. in quib. caus. in integr. rest. non est necess. ubi antiquus Præscriptionis triennariæ valor respectu minorennium Imperatoris confirmatione consolidatur. Rota Rom. in rec. p. 10. dec. 30. n. 32.
- 84 De Præscriptionibus verò innominatis in eadem l. ult. sub nomine temporalium Præscriptionum (id est, quæ specificum ac certum nomen non habent) sancitum est, quòd in illis casibus, in quibus vetera jura earum cursum permiserunt, reservatò restitutionis subsidiò,

non amplius currant ex hac ratione: quia melius est, intacta jura servari, quam post casum unilateram remedium quaere.

Quem in censum pertinent casus in l. ult. Cod. si adversus Fiscum, quando Fiscus minoris bona sub hasta vendidit; in l. eo tempore 2. Cod. de in integr. restituit. quando minor statuto tempore bonorum possessionem non petit; in l. in honorariis 35. ff. de O. & A. quando minor actionem prætoriam, anno adstrictam, præterlabi sinit; item in l. cum proponas 2. Cod. de Edilit. action. quando minor actionem redhibitoriam intra 6. menses, & actionem quanto minoris intra annum insituere negligit. In his quippe casibus secundum generalia Juris principia minores olim restituebantur per l. minoribus 8. Cod. de in integr. restituit. Hodie verò post d. l. ult. restitutione non indigent: cum ipsò jure contra Præscriptiones innominatas sint muniti.

Si quaeras: an contra fatuos & mente captos Præscriptio currat? 88

Resp. Rota Rom. d. p. dec. 204. n. 5. negativè: quia pupillis æquiparantur. Card. de Luca de Judic. dic. 21. n. 37. Idem de furdis & mutis tenuit Rota p. 12. dec. 201. n. 11. & seq. aut saltem restitutionem indulgere voluit.

CAPUT IV.

De Materia seu Objecto Præscriptionis.

Materiam seu objectum Præscriptionis latum planè & amplum esse, constat ex cap. 1. num. 16. cum enim ibidem adverterim, jus vel liberationem à jure objectum Præscriptionis constituit; jus verò sic multiplex, publicum & privatum, sacrum & profanum, reale & personale &c. consecutaneum est, ipsum objectum, hic explicandum, in longissimum discurrendi campum patere. Ut verò totam materiam amplitudinem hic constringam, in prima scilicet res & Jura præscripibilia in genere; in secunda obligationes quasdam & actiones personales; in tertia Jura Ecclesiastica; in quarta Jura publica & principalia in medium adducam.

SECTIO I.

De Rebus & Juribus Præscripibilibus in genere.

SUMMARIÀ.

- 1. & seqq. Res omnes sunt præscripibiles, nisi ostendantur excepta. 4. Excipiuntur res extræ commerciam. 5. Sacra, sancta, religiosa. 6. & seq. Res tamen sacra, si præsentantur, aut ad usum profanum non applicentur, sunt præscripibiles. 8. & seq. Uti jus sepeliendi mortuum. 10. & 11. Respublica, communes, & universitatis in sensu composito nequeunt præscribi. 12. Limites quoque Præscriptionem effugiunt. 13. & seq. Si considerentur formaliter. 15. Ac certi sint. 16. Non item, si materialiter spectentur. 17. & seqq. Liber homo non cadit sub Præscriptionem. 20. & seq. Sed libertas. 22. & seq. Nec Jura Ecclesiastica sub Præscriptionem Laicorum. 24. & seqq. Privilegium & Præscriptio immemorialis non æquiparantur, sicut incapax possessionis. 27. & seq. Res virgata non præscribuntur. 29. Res furviva non præscribuntur. 30. Neque à furci. 31. Neque à dona fidei possessore. 32. & seq. Tempore ordinariò. 34. Usque dum vitium furci purgatur. 35. & seqq. Offenditur modus purgandi vitium. 44. & seqq. Agitur de fructibus rei furviva. 39. & seqq. Res, vi occupata, nequeunt præscribi. 51. & seq. Nequidem à tertio possessore. 53. Tempore ordinariò. 54. & seq.

seq. Donec vitium purgetur. 56. Idem assertur de rebus acceptis contra L. repetundarum. 57. & seqq. Corollaria. 61. Examinantur actus mera facultatis. 62. & seqq. Describuntur, & declarantur. 66. & seqq. Dividuntur in proprios & impropriis. 69. & seqq. Hi subdividuntur in affirmativos & negativos. 71. & seqq. Proprii respuant omnem Præscriptionem. 74. & seqq. Non item improprii. 77. & seqq. Differentia inter actus negativos & affirmativos. 87. & seqq. Infantia cum responsione congrua. 91. & seqq. Corollare. 94. Secundum aliquos res, alienari prohibita, nequeunt præscribi. 95. & seqq. Recensentur ejusmodi res, & adducitur textus in l. 28. in pr. ff. de V. S. 98. Si prohibitio sequatur alienationem, non

impedit Præscriptionem. 98. & seqq. Si præcedat, etiam non impedit Præscriptionem simpliciter, nisi præscribens sit incapax possessionis. 101. & seqq. Paria responsiones ad tit. l. 28. 106. Status questionis. 107. & seqq. Res Ecclesiastica, perperam alienata, præscribi valent. 121. & seqq. Objecta formantur, & reformantur. 123. & seqq. Feuda quoque, illegitimè distracta, Præscriptionem tricennariam admittunt. 126. & seqq. Opponitur & explanatur textus in tit. 55. Feud. 2. 140. & seqq. Res, fideicommissò subjecta, pariter recipiunt Præscriptionem 30. annorum, non verò minore. 148. & seqq. Res dotales, mobiles & immobiles, sicut matrimonii, sunt immunes à Præscriptione. 152. & seqq. Ponuntur exceptiones.

§. I.

De Rebus & Juribus humano commercio exemptis.

PRæ omnibus in principio hujus Capituli admonere volo, in materia Præscriptionis pro infallibili & perpetua regula tenendum, quòd res omnis, sive corporalis, sive spiritualis; sive mobilis, sive immobilis; sive publica, sive privata Præscriptioni sit obnoxia, nisi peculiari Legis exemptione fuerit munita.

2. Delimitur hæc regula ex l. sicut in veno 3. l. omnes vendendi 4. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor. ubi Imperatores Theodosius & Anastasius res & jura omnia determinatò temporis spatii circumscribunt. Ideòque non abs re objectum Præscriptionis ad Jus prohibitorium revocari posset, cujus ea est indoles, quòd omnia videantur permittà, quæ specialiter prohibita non reperiuntur arg. cap. cum apud 23. de Sponsal. l. minus 43. §. 1. ff. de Procurator.

4. Prima verò exemptio & exceptio est in rebus & juribus, humano commercio non subiectis: Præscriptio namque, ut pridem indicatum est, vel jus, vel liberationem operatur. At jus vel liberationem operari non potest circa res, quarum usus, commercium, & dispositio hominibus est interdita. Adeòque res, humano commercio non subiectas, inera objecti sui latitudinem Præscriptio non comprehendit. Et hinc excluduntur à Præscriptione

5. I. Res sacre, sancte, & religiose §. sed aliquando 1. Inst. l. usucapionem, 9. ff. de her. harum quippe rerum tantum Jure habetur veneratio, ut neque actu neque potentia liberè hominum dispositioni subiectari posse, dicantur. Clariss. D. Collega Franz ad tit. Inst. de R. D. num. 2. Quoad sacras tamen res doctissimi advertit Magnif. P. König ad h. l. num. 7. eas, si rursus profanarentur, Præscriptioni fore suppositas: quia videlicet primevanæ qualitate consecrationis, ob quam humanum effugerant commercium, perdiderunt

7. arg. l. enim loca 36. de Religios. & sumpt. fun. Imò, cum circa res sacras, quatenus sunt tales, verum dominium quoad dispositiones pias & non - dedecentes dari valeat, ut ostendetur in tract. de Jure Propriet. 10. 2. l. 3. in eo quo-

que sensu Præscriptionem non evitant. Quod res religiosas concernit, cum eodem P. König, Gonzalez, & Accursio distinguendum inter dominium loci religiosi seu sepulchri, & jus mortuum ibidem sepeliendi: illud sub Præscriptionem non cadit arg. l. monumenta 14. Cod. de Leg. ubi, cum monumenta ne quidem legari possentur, rectè concluditur, eas nec præscribi posse: quia nempe illa fundi portio, cui humanum est illatum cadaver, respicit dominium hominis: quòd etiam sensu intelligenda venit l. longa possessione 4. ff. de Mort. infer. ibi: longa possessione jus sepulchri non eribus. Hoc verò Præscriptionem

admittit per l. monumentorum 6. Cod. de Religios. & sumpt. fun. ubi ita decernitur: Præscriptio antequam longi temporis, si justam causam ab initio habuit, vobis proficiet (latellige pro jure sepeliendi, cujus ab initio fit mentio) & merito: quia jus sepeliendi est in continuo usu & commercio hominù per d. l. monumenta 14. Cod. de Legat.

II. Excluduntur res publicæ, communes, universitatis; uti sunt mare, aer, littora, flumina, feræ, fora, viae publicæ &c. quæ, licet absolute non dedignentur humanam subire potestatem, cum de facto & maria & flumina & littora eorumque jura in dominium Regum, Respublicarum, & Principum transfierint, veluti pluribus commemorat Georg. Adamus Struv. in Syntag. Juris feud. cap. 6. rub. 7. attamen, quàm diu remanent communes, publicæ, vel Universitatis à privatibus quilibet præscribi nequeunt l. usucapionem 9. l. Præscriptio 45. in pr. ff. de Usurpat. & usucap. ut sic enim privatorum commercio quoad proprietatem non subsunt pr. §. 1. & 2. Inst. de R. D.

III. Excluduntur limites & termini Regionum, Provinciæ, Diæcesium, & Parochiarum cap. quicunque 4. cap. licet 5. XVI. q. 4. cap. super eo 4. de Paroch. ne scilicet inextricabilis confusio ex confusione vel immutatione limitum ad terminorum oriatum.

Distinguendum tamen est inter limites formaliter & materialiter consideratos. Formaliter

iter considerati, quatenus sunt ratio formalis terminandi & discernendi unam Regionem, Provinciam, Diocesim, aut Parochiam ab altera, nullam admittunt Præscriptionem juxta-
 14 citatos textus & rationem datam; cui superaddi potest alia, quod in limitibus, præter Jus publicum, aliquid sacrum ipsimet etiam Gentiles agnovierunt. Panormit. ad cit. cap. super eo num. 6. Barbofa ibidem num. 10. Gonzalez ad cap. ex literis 3. de Probat. num. 5. Hieronymus de Monte in sr. de Fin. regund. cap. 17 num. 2. Suppositò, quod de limitum certitudine per lapides, testes, vel instrumenta consistit propter textum in cap. volumus 2. d. XVI. ff. de sepulchris, ubi quadragenaria Præscriptio in finibus Ecclesiasticis, si non constat de eorum certitudine, manifestè comprobatur, utpote cum magis declarari, quam præscribi videantur. Barbofa cit. l. num. 4. P. Wiestner ad tit. de Paroch. num. 31. At limites, materialiter peccati, quatenus sunt pars fundi & soli, ac subjectum, in quo jura circa res corporales & incorporales exercentur, præscribi possunt, ut concludenter eruitur ex cap. ad aures 6. cap. auditis 15. h. t. cap. Episcopum 1. cod. in 6. in quibus stabilitur Præscriptio, quæ unus Episcopus vel Parochus jura Parochialia vel Episcopalia intra fines alterius Diaconis aut Parochie acquiri; junctò textu in l. pro emptore 2. §. 6. ff. pro emptore. Felixus ad cit. cap. indicante num. 5. P. Engel ad h. t. n. 8. Wiestner d. l. num. 32. Gletie 2. p. Pandect. q. 3 t. in f. Clarissimus P. Schmalzgrueber ad cit. tit. num. 30.
 17 IV. Excluditur liber homo: cum enim ex una parte libertas tantà circumstuat excellentià, ut actionem non recipiat l. libertas 106. ff. de R. F. ex altera verò parte tantà sca-teat suavitæ & voluptatæ, ut ejus recuperandæ occasionem nemo præsumatur negligere, ut loquitur Puffendorff de J. N. & G. sæpe cit. cap. 12. §. 2. is, qui diuturnò tempore in servitute perstitit, atque ad libertatem non proclamavit, potius conditionem suam ignorasse, quam recuperationem ejus in vilipendisse præsumitur, ab omni prorùs Præscriptione securus. Textus in §. 1. Infit. h. t. l. ult. Cod. de longi temp. Præscript. qua pro libert.
 18 Et licet in hac l. ult. 60. annorum meminerint Imperatores; id tamen non eò sensu exaudiendum, quasi ulterior & major Præscriptio adversus libertatem concessa sit, sed cum Arnoldo Vinnio ad d. §. 1. ita exponendum, ut 60. anni, velut communis humanæ vitæ terminus, non per modum taxationis, sed declarationis tantum adjecti intelligantur: cum etiam Præscriptio, quæ major est 60. annis, ibi: etiam 60. annorum curricula excesserit, luculenter submoveatur. Quòd verò liber homo non semel in Jure pro servo possideri,

asseratur, id non tam ex veritate, quam ex bona fide, justò errore munita, provenit. Vide D. Rath de Usucap. cap. 4. assert. 2.
 Aliud & contrario de Præscriptione pro libertate recuperanda dicendum, cujus favore Diocletianus & Maximianus in l. præstat 2. Cod. d. t. illos pronuntiarunt liberos & cives Romanos, qui in possessione libertatis per 20. annorum spatium sine interpellatione morati essent. Quam decisionem nonnulli apud Pirhing ad h. t. sect. 1. §. 3. de casu absentie interpretantur, Præscriptionem decennii in casu presentie aditruentes, ea forsitan ex ratione: quòd tam in rubrica illius tituli, quam in princ. d. l. præstat. de longo tempore sermo sit, quòd ordinariè interpretantes ad decennium, inter absentes ad vicennium ascendit. Cui disquisitioni, cum vertatur in materia jam obsoleta, diutius immorari, non vacat.
 V. Excluduntur jura Ecclesiastica, cujusmodi sunt jus eligendi, conferendi beneficia Ecclesiastica, cognoscendi & judicandi causas Ecclesiasticas, quæ, tametsi à Clericis præscribi possint, nequam tamen à Laicis, utpote quorum commercium non sunt obnoxia per cap. causam 7. h. t. c. de verisimiliis 2. de Jure. P. Engel h. t. num. 6. Ut adèd Laici, etiam si sint per mille annos in usu ejusmodi jurium constituti, nihilominus præscribere nequeant, ut cum Joanne Andrea & Azorio tradit P. König ad eund. tit. n. 12. quoniam lapsus cujuscuque temporis jura spiritualia patrimonio & commercio Laicorum addicere non potest.
 Nec refert, quòd S. Pontifex ex plenitudine potestatis Laicos ad jura Ecclesiastica per privilegium habitare, & consequenter eadem habilitas Præscriptione temporis immortalis, quæ privilegio æquiparatur juxta textum & DD. in c. super quibusdam 26. de V. S. acquiri valeat.
 Sciendum quippe, & prærobè inferendum memoriæ, regulam, quæ Præscriptionem immemorabilem privilegio æquiparat, fallere in casu, quòd ex persona præscribentis reperitur incapacitas possidendi: licet enim privilegium ex non capaci possit facere capacem (prout antiquis & modernis temporibus diversa jura Ecclesiastica fuisse Laicis Principibus concessa, notant DD. infra citandi) idem tamen non potest efficere Præscriptio, cujuscuque sit temporis: quia fundatur super possessione, quæ, cum præcedere debeat Præscriptionem, incapacitatem ex parte Laici non tollit, sed facit, fovet, & conservat. Ita communis DD. opinio sentit cum Panormitano nostro ad d. c. causam h. t. num. 7. Covarruvia lib. 1. Var. resolut. tom. 2. cap. 10. n. 14. & c. 17. num. 6. Balbo de Præscript. 1. part. §. princ. q. 7. num. 16. Qua de re plura inferius, ubi de Præscriptione decimarum agendum erit, disputabimus.

De Rebus Vitiis.

27 **A**ltera exceptio & exemptio est in rebus vitiosis, quæ non exinde tales dicuntur, quòd reverà in se vitium aliquod contineant, sed denominantur ab eo, qui scelere, delictò, & vitio illas se contractavit, seu usurpavit; ita tamen ut fictione Juris malignà quòdam infecta qualitate reputentur, cum qua ad omnes omninò possessores transeunt.
 28 Tale vitium reperitur in rebus furivis, vitiosis, & contra Legem Juliam repetundarum à Magistratu, Judice, Assessore &c. eò sine acceptis, ut aliquid decernerent vel non decernerent, vel aliquid magis aut minus officio suo facerent, ad quod tamen aliàs vi & virtute lui muneri erant obligati. Pro majori dilucidatione hujus materiæ
 29 Dico I. Res furivæ non tantum ab ipso fure, sed etiam à bonæ fidei possessore tempore ordinariè præscribi nequeunt, donec vitium fuerit purgatum.
 30 Dixi I. non tantum ab ipso fure. Quod & lippis & tonforibus manifestum credo, lumine rationis culibet sanæ mentis dictante, absurdum planè esse, furem afficere præmiò, & summam iniquitatem inexplicabili subinde commodò remunerari.
 31 Dixi II. sed etiam à bonæ fidei possessore &c. Ita enim sub ipsa Juris Romani primordia, uti refertur in §. furiva quoque 2. §. quod autem 3. Inst. l. non solum 33. in princ. ff. h. t. cautum erat, ne rei furivæ usucapio admittatur. Indignum nempe & absolum primi Jurisprudentiæ Parentes judicârunt, ut dominus privetur jure rei, quam neque tractavit negligenter, neque curare intermisit, neque habere voluit pro derelicta; sed fraudulentè alterius perdidit machinatione.
 32 Dixi III. tempore saltem ordinariè. Nam communis & recepta sententia, quam refert Magnificus P. König ad h. t. num. 24. res furivas, à tercio bonæ fidei possessore, v. g. emptore aut furis hæredè possessas, extraordinariè Præscriptio 30. vel 40. annorum reddit subjectas. Ratio est: quia tanto tempore omnes prorùs actiones, live reales live personales, expirant l. sicut 3. l. annes 4. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. etiam, quæ de re furiva sunt conceptæ, ut est textus disertus in l. super annali 1. §. 1. Cod. de Annali Excepti. Ergo & ipsa res furiva eòdem tempore Præscriptiois fatalem terminum agnoscat, necesse est: ut enim post 30. annos peti amplius non potest; ita restitui amplius non debet.
 34 Dixi IV. usque dum vitium fuerit purgatum: hoc est, usque dum res, furtivè ablata, in potestatem domini scientis eòdem modò fuerit reverta, quò ante fuit. Unde ad purgationem vitii requiritur
 35 I. ut res ad dominum, vel eum, qui locò domini habetur (qualis est in Jure nostro tutor & curator, ad quos res pupillo, minori, P. SCHMIEB JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

vel furioso ablata, si revertatur, vitium exiit l. inserendum 56. §. 4. ff. de Furtis; nisi ipsemetutor pupillo furtum intulerit: tunc enim ad purgandum vitium res ad pupillum redire debet: quia tutor in re pupilli tunc domini locò habetur, cum tutelam administrat, non eum pupillum spoliat, uti dicitur Julianus in l. qui fundum 7. §. 3. ff. pro emptor. Zoëf. ad ff. h. t. num. 20.) revertatur, & non ad eum, cujus fuerit surrepta v. g. commodatarium, depositarium &c. l. sequitur 4. §. 6. ff. h. t. præterquam si ipse depositarius aut similis detentor rem, lucri faciendi causâ à se venditam; ex poenitentia, live sciente live ignorante domino, redemerit d. l. sequitur §. 10. Nec sufficit, rem, domino ablatam, ad procuratorem pervenisse: quoniam capiosum esset juxta responsum Neratii in l. si rem 5. ff. d. t. ne forte, uti advertit D. Rath. cap. 4. assert. 20. l. d. procurator cum fure colluderet.
 Quòd si tamen ab ipso debitore creditori; surreptum fuerit, dissident inter se & Leges & Legum Interpretes, ad quemnam redire debeat, ut vitium purgetur. Mihi præ aliis aridet distinctio, quæ Clariss. D. Rath d. l. assert. 23. separat dominium rei pignoratæ ab actione hypothecaria, ejus nomine prodita. Dominium rei pignoratæ vitio furci non afficitur, si ab ipso debitore creditori ablata, ad illum pervenerit: quia ad rationem furci requiritur, ut res aliena auferatur invito domino: res verò pignoratia nec est aliena quoad proprietatem respectu debitoris, nec auferitur invito domino: & idè, deficiente furto vitio, res pignoratæ potest à tercio præscribi, in quem debitor illam transiit; sicque in quòd textum in l. sequitur 4. §. 21. ff. h. t. l. si rem 5. ff. pro emptore. Quando autem in §. aliquando 10. Inst. de Oblig. qua ex del. Justinianus debitorum, qui pignus creditori subducit, furti in re sua commissi damnat; hoc sensu accipiendus est, ut intelligatur quidem in re sua, live rei sue furtum facere; verum quatenus aliena est, nempe quatenus possessionem alienam intervertit: vel, si Philosophorum more loqui placeat, ita explicabitur Imperator, ut debitor non faciat furtum rei suæ, quatenus suæ, seu specificativè, sed quatenus & sub respectu alienæ, seu reduplicativè.
 Unde alterum distinctionis membrum supra sponte resolvitur quoad actionem hypothecariam, quòd huic ante non præscribitur, quam pignus ereptum in potestatem creditoris postliminiò pervenerit: quòd pertinet l. si quid ult. ff. h. t. & l. cum sit 6. Cod. de Usucap. pro emptor. dum Præscriptionem rei pignoratæ tum demum admittunt, quando creditoris mandè iteratò subierit: intelligunt enim Præscriptionem rei pignoratæ, in quantum est affecta jure pignoris, & inde oriundà actione hypothecaria.
 B b Requi-

- 41 Requiritur II. ad purgationem vitii, ut res ad dominum scientem revertatur. *l. si ad dominum 86. ff. de Furt.* Unde res peculiaris, servus vel cooperante vel invito interversa, tamdiu manet vitiosa, quamdiu ejus recuperationem dominus ignorat; quemadmodum pluribus videre est in *spe. cit. l. sequitur §. 7. 8. & 9. ff. b. t.* Res vero, pupillo aut furioso surrepta, vitium amittit censetur, si modo ejus reditum & restitutionem tutor aut curator resciverit. *d. l. §. 11. b. t.*
- 42 Requiritur III. ut res eodem modo, eodem jure, eadem causa ad dominum reverta sit, quod antea poenas illum extiterat, hoc est, ex jure pristini domini, non vero ex jure novi tituli: si enim dominus, nesciens rem suam esse, eam aut a fure, aut etiam a bonæ fidei possessore redemerit, furtiva esse non definit. *d. l. §. 12.*
- 43 Id tamen non exigitur, ut corporalem rei apprehensionem vel possessionem dominus nanciscatur: sive enim rei æstimationem acciperit, sive ipsius voluntate & consensu res in alium translata fuerit, ad ipsum per fictionem brevis manus rediisse, & postea primum alienata fuisse videtur. *d. l. §. 13. & 14. & ibi Brunnean. num. 6.*
- 44 Hæc satis explorata sunt. Utrum verò rei furtivæ fructus eadem ratione furti laborent vitio? In quaestione vocatur. Et partem affirmativam sustinet Bachovius in *diff. ad Tremlor. h. t. ob. 3. lit. B. in fin.* ob textum in *l. qui vas 48. §. 5. de Furt.* in cuius fine Ulpianus concludit, *idem & in pecuniis servandum esse, & in factu earum, quod in partu:* de partu autem ancillæ furtivæ primum ante dixerat, eum furtivum esse, sive apud furem edatur, sive apud bonæ fidei possessorem. Ergo fructus pecudum, & ceteri fructus rei furtivæ vitio furti sunt imbuti, & consequenter Præscriptionem non adæquant. Partem negativam teneat Zoësius ad *b. t. num. 28. D. Rath assert. 27. P. Pirhing ad b. t. iii. num. 14. P. Haunold tract. §. c. 2. Cont. §. num. 375.* & plerique; quibus accedo propter textus urgentissimos tum in *l. bona fidei 48. §. 2. ff. de A. R. D. ibi: & ovium fructus in fructu sunt, & ideo ad bona fidei emptorem pertinent, etiam si pregnantes venerint, vel surrepta sint:* tum in *d. l. qui vas 48. §. 6. ff. de Furt. ibi: ex furtivis equis nati statim ad bona fidei possessorem pertinent: merito, quia in fructu numerantur; ac partus ancillæ furtivæ non numerantur in fructu.* Ratio desumitur ex *§. si quis 35. ff. de R. D. d. l. bona fidei in pr. ff. de A. R. D. l. in pecudum 28. ff. de Usur. & fruct.* ubi dominum fructuum fecerunt a dominio rei frugiferæ; atque illud bonæ fidei possessori, etiam si res frugifera sit aliena, asseritur.
- 47 Ad textum, à Bachovio adductum (quid quid sit de partu ancillæ furtivæ, cuius veluti materiam jam abolitæ, pleniori discussione superledeo, interim ad Struvium Exercit. ad Ponderit. 43. th. 6. me remittens) 4. ex textibus, pro sententia posteriori citatis, differentiam inter fructum pecudum, & partum ancil-

læ non obscure dignosci, eò quod ille inter fructus, non iste numeretur: id eò quod fructus nec furtivus, nec usufructuarius indigens esse, sed jure perceptionis statim in bonæ fidei possessorem transire censetur, non etiam partus. Quod autem in *d. l. qui vas §. 5.* fructus & partus ejusdem juris esse dicantur, id vel cum Arnolfo Rath *d. assert. 27.* per modum interrogationis explicandum est, quoniam in *§. 6.* immediate sequenti contrarium planè *§. 5.* adtruitur de natis ex equo: vel cum Zoësi ubi supra *num. 28.* in sensu non absoluto sed accomodo interpretandum, ut sensus sit: partum ancillæ eò casu, quod apud bonæ fidei possessorem conceptus est & editus, comparari cum fructu pecudum quoad furti qualitatem, utrinque cessantem.

Dico II. Res, vi occupata, neque ab ipso occupante, neque a tertio bonæ fidei possessore, tempore ordinariò, præscribi valent, donec vitium violentiæ purgatum fuerit. Dixi I. res, vi occupata, intellige, aut vi expulsi, aut vi ablativæ: vis enim turbativa vel compulsiva non est hujus loci. Dixi II. neque ab ipso occupante, neque a tertio & c. quod utrumque decisum existat in *§. quod autem 3. ff. b. t.* unò tamen casu exceptò, quando nimirum possessor quidem à possessione fundi violenter est dejectus, sed fundus ab alio, quam deiciente, malè nihilominus fide, occupatus est: tunc quippe occupans ob defectum bonæ fidei non potest præscribere; si tamen in tertium, horum omnium ignarum, transfulerit, poterit ille ex sua persona non tantum inchoare, sed etiam consummare Præscriptionem *§. quod autem 7. Inst. l. furtum 37. §. 1. cum l. seq. ff. b. t.* Siquidem fundus hoc in casu nec est vi occupatus, uti supponitur; nec est furtivus: quia Imperator in *d. §. quod autem* ipsemet conficitur, explosam esse illorum sententiam, qui furtum à fraude vel furvo derivantes, exstimantur, rerum quoque immobilium, utpote quæ etiam per fraudem & clam intercipi possunt, furtum existere.

Dixi III. tempore ordinariò. Tempore enim extraordinariò res etiam vi possessas Præscriptionis iugo submitti, ex dictis in *num. 32.* eruitur.

Dixi IV. donec vitium violentiæ purgatum fuerit. Quod fit, si res vi possessa in potestatem illius venerit, qui vi de possessione fuit dejectus, sive is dominus fuerit, sive non, quemadmodum dilucidè videtur colligi ex *l. coricè §. 6. §. 3. ff. de Precario*, ubi ad vitium violentæ possessionis purgandum plus non requiritur, quam ut dejectus permittat, dejectentem precariò possidere; nihil ad eundè, utrum dejectus dominium habeat, nec ne. Quin & si deiciens à dejecto possessionem emat, illum etiam pro emptore posse dominium capere, habetur eodem loco: ex quo evidenter elucet, venditorem non fuisse dominum: quippe cum aliàs usufructuone non foret. Vinnius ad *§. 3. ff. b. t.* Neque officit, quod Impera-

Imperator in *§. aliquando etiam 8. eod. t. dixerit*, rem furtivam vel vi possessam aliquando usufructu possesse, veluti si in *NB. domini potestatem revocata fuerit.* Etenim Imperatorem non exclusivè, sed exemplificativè tantum fuisse locutum, satis innuit particule *aliquando & veluti.*

56 Dico III. Res, contra Legem Juliam Repetundarum acceptæ, non solum ab accipiente, sed etiam à quolibet bonæ fidei possessore præscribi nequeunt, quàm in dantis, hæredisve ejus redierit potestatem. Ita statuitur in *l. quod contra penult. pr. & §. un. ff. de L. Jul. repetund.* Ex dictis

57 Colliges I. veritatem Oraculi Imperatorii in *§. quod autem 3. ff. b. t.* quòd in rebus mobilibus non facillè procedat & proficiat bonæ fidei possessori usufructu: vel enim à domino alienantur, vel à non domino? Si à domino; superflua & supervacanea est usufructio. Si à non domino; ordinariè sunt infectæ reali furti vitio; sique ad præscribendum ineptæ, esto per centum manus ambulaverint.

Colliges II. duos communiter casus cum eodem Imperatore admitti, in quibus Præscriptio rerum mobilium perficiatur. Primus enumeratur in *§. sed tamen 4. ff. d. t.* in hæredem commodatarii, depositarii, aut conductoris, qui, si justo errore ductus, rem depositam & c. in bonis defuncti reperit, ad se pertinere existimet, ob defectum possessionis & fidei malè fidei suam quidem in persona usufructu non potest; tertium verò, cui fortè rem depositam v. g. bonà fide vendiderit, in conditione usufructu constituit. Quis enim furti infirmabit illum, qui rem tantam suam ex justo errore alienat, cum sine affectu furandi furtum non committatur juxta *§. placuit 7. ff. de Oblig. qua ex del?* Secundus exhibetur in *§. item furti §. ff. b. t.* in usufructuario ancillæ: hic, partum ancillæ suam esse arbitratus, eundem vendendò, donandò, legandò & c. furtò se non obstringit, quia animò furandi caret. Emptorem itaque vel donatarium usufructu privilegii reddit captem.

§. III.

De Rebus & actibus meræ facultatis.

61 Tertiam exceptionem à communi Præscriptibilitatis regula ponunt, & supponunt communissimè DD. in rebus & actibus meræ facultatis: quorum indolem & habitum prolixiorè non nihil calamè adumbrare, vel idèò consultum erit: quia continuæ lites, præcipue circa Præscriptiois juriurum & obligationum, moventur, sitne hic vel ille actus meræ facultatis, ad Præscriptionem habilis vel inhabilis? Ea potissimum, ut opinor de causa, quòd controvertentes sæpius ignorent, quinam & quales sint actus meræ facultatis.

62 Observandum itaque I. res & actus meræ facultatis rectè describi à Viris Clarissimis, P. Engel ad *b. t. num. 9.* P. König *ibidem n. 14.* D. Franz *eod. tit. num. 9.* quos homines circa ullam conventionem vel obligationem *jure Nature vel Gentium pro suo arbitrio solent facere & omittere.*

63 Adeoque ubi ratio proxima & principalis, cur actum vel exercere vel intermittere liceat, fundatur in jure naturalis libertatis, actus meræ facultatis nuncupatur. Ubi verò ratio proxima & principalis exercendi vel omittendi actum consistit in principio alio, puta in contractu, pacto, privilegio, consuetudine & c. actus non dicitur meræ facultatis, quia vim & effectum ex jure naturalis libertatis proximè non sortitur. Ex quo

64 Observandum II. jus aduendi hæreditatem acceptandi legatum, petendi investituram, præsentandi ad beneficium, instituidi in beneficio, agendi in judicio & c. & juratid generis innumera malè ad actus meræ facultatis revocari: quia ratio ejusmodi jura exercendi non in jure naturalis libertatis & meri arbitrii, sed in concessione, pacto, privilegio & c. sita est. Unde si is, cui similia jura competunt, illa intra statutum tempus à Le-

gibus exercere neglexerit, Præscriptio locum habet per textum in *l. 2. & 4. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor.* Enimverò, ut in sequentibus magis apparebit, si nudum agendi vel petendi factum spectetur, id ex jure naturalis libertatis fluit: quia in meo stat arbitrio, utrum adire Judicem vel Superiorem, ac petere jus & justitiam velim nec ne: at jus agendi cum effectu non ex libero arbitrio, sed liberà conventionem vel concessione alterius promanet, cui ob publicam utilitatem certæ tempora, fines, & terminos Leges præscriperunt, quibus non observatis, in profundum nihilæitatis recidit.

Observandum III. actus meræ facultatis, in *num. 62* descriptos, optime dissectari in proprios, & improprios tales. Actus meræ facultatis proprii tales vocantur, qui libero cujuslibet arbitrio ita sunt permitti, ut ex jure prohibendi non possit in alterum æstimabilis utilitas redundare. Huius fortis sunt: ita per viam publicam, adire forum, lavare in flumine publico & c. stante enim naturæ viæ publicæ v. g. non potest tuâ specialiter interesse, ne eam per viam publicam, cum non obstante meâ abstinentiæ ire possit quis alius.

Actus meræ facultatis improprii tales sunt, qui libero alicuius arbitrio ita sunt permitti, ut ex jure prohibendi possit in alterum æstimabilis utilitas redundare. Huius farinae sunt, frumentum huic vel illi molitori frangendum tradere, ex hoc vel illo hospicio vinum emere, ex hoc vel illo Monasterio Abbatem eligere & c. Potest quippe tuò non parùm interesse, ut tuo in molendino potius, quam in alio frumentum conteratur; tuo in hospicio potius, quam in alio vinum ematur; tuo ex Monasterio potius, quam ex alio

alio Abbas eligatur. Ideoque imprudenter non agis, si tibi vigilas, ac in id curam dirigas, ut libertatem alterius, quam in tuo frumento, vino, electione &c. habes, utili prohibitionis vinculo tuum in favorem obstringas.

69 Observandum IV. actus meræ facultatis improprios in duplici esse differentia constitutos. Quidam sunt affirmativi, ad hoc ordinati, ut jus quoddam activum personæ præferentis acquiratur: v. g. si per aliquot annos vel hospitali vel alteri causæ piæ ex libera voluntate obtulisti 10. florenos, isti actus vocantur meræ facultatis affirmativi: quia ex illis hospitali vel causæ piæ jus activum & de facto acquiritur quoad florenosjam oblatos, & in futurum fortassis acquiri potest ad petendos deinceps singulis annis 10. si Præscriptionem admittamus.

70 Alii sunt negativi, eò directi, ut jus, ab altero jam possessum, extingatur: v. g. si per decem annos vel plures ædes tuas ex mero beneplacito alicui non ædificasti, ista omisso ædificandi vocatur actus meræ facultatis negativi: quia, admittis etiam Præscriptione juris alicui non tollendi, quod ex decursu tanti temporis vicinus adipisceretur, id tamen non tam jus activum, quam negativum foret, impediens nempe & negans, ne alter jure suæ libertatis impotenter frui posset. His observatis,

71 Dico I. Actus meræ facultatis propriè tales nullò uaqum tempore præscribuntur. Sic quoad substantiam omnes docere videntur, quorum longum catalogum pro more recenset Anton. Gabriel commun. conclus. lib. 5. conclus. 10. num. 1.

72 Docetur etiam clarissimè in l. viam publicam 2. ff. de Via publ. & itin. publ. resc. ubi Javolenus, viam publicam, inquit, populus non utendò amittere non potest, esto, subjungit Brunneinan. ad h. l. num. 2. mille annis non fuerit usus. At jus utendi viâ publicâ, sive eundi per viam publicam est actus meræ facultatis propriè talis, utpote cujuslibet libero arbitrio ratione Naturalis & Gentium juris permixtus. Ergo &c.

73 Et ratio est: quia, ut Præscriptio confurgat, debet in præscribentem quædam utilitas derivari: præcisâ namque utilitatis spe possessio juridica inaniter occupatur, eò quod ineptè quis desideret possidere tanquam proprium, quod nec est, nec esse potest ipsi utile. Sed ex jure prohibendi actus meræ facultatis propriè tales nullum penitus emolumentum in præscribentem derivari potest ex num. 66. Nisi fortè sint homines invidi & maligni, qui aut vulturum adinstar alienis pascuntur & delectantur exuvii; aut viperarum in morem non nisi aliorum moribus & mortibus recreantur, odiò certè non favore digni juxta l. in fundo 38. ff. de R. V. ibi: *malignis non est indulgendum*. Ergo ex actibus meræ facultatis propriè talibus non potest confurgere Præscriptio.

74 Dico II. Actus meræ facultatis improprie tales rectè præscribuntur, servatâ tamen

in modo præscribendi distinctione inter actus affirmativos & negativos. Prima pars conclusionis probatur I. Res omnes cadunt sub objectum Præscriptionis, quæ speciali exceptione non sunt firmatæ. Sed nullibi exceptionem legeris de actibus & rebus meræ facultatis improprie talibus. Ergo &c. II. Res meræ facultatis improprie tales sunt ita comparatæ, ut ex earum Præscriptione commodum in præscribentem transundatur; possuntque omnes conditiones, aliàs requisitæ, in eadem Præscriptione reperiri. Nam si quis, jussu errore ductus, Titium sibi 10. florenos annuos debere, quos ex pia liberalitate hæcenus solverat, illum, solvere aut nolentem aut negligentem, non solum admoneat, sed etiam urgeat, isque seu admonitioni seu urfioni acquiescat, omnia Præscriptionis requisita, nempe titulus, bona fides, & possessio concurrunt. Ergo nil impedit, quò minus dictæ res præscribantur.

76 III. Jus ædes proprias alicui ædificandi est res meræ facultatis: quia stat in arbitrio domini, velint ædes habere in altum porrectas, vel in profundum depreffas: jus tamen hoc Præscriptione potest periri, & vicino servitus alicui non tollendi, juris alicui tollendi suffocativa, acquiri arg. l. ult. Cod. de Præscr. longi temp. in fine, ubi in genere de servitutibus concludi videtur, quòd ad normam rerum immobiliu præscribantur. Ergo &c. Sicque non semel resolvit Rota Rom. præferunt p. 2. dec. 11. n. 9. p. 4. ro. 1. dec. 396. num. 7.

77 Altera conclusionis pars explicatur & probatur. Actus negativi sunt ita dispositi, ut Præscriptionem non recipiant, nisi accedat prohibitio unius & patientia seu acquiescentia alterius, veluti conclusit Rota in recent. p. 5. dec. 265. num. 36. & p. 7. dec. 226. num. 33. & seq. Covarruv. p. 2. relect. cap. possess. §. 4. num. 6.

78 Ratio est: quia possessio in ejusmodi actibus dari vix potest, nisi præscribentis prohibitio, & illius, contra quem præscribitur, acquiescentia conveniant; quæ duo præscribentem in quasi-possessione juris contrarii constituunt, ut tradunt Layman. Theol. Moral. lib. 3. tr. 1. c. 8. num. 8. Rath cap. 4. aff. s. 5. P. König h. r. num. 14. D. Franz cit. loc.

79 In exemplo: ad hoc ut ego jus alicui non tollendi in urbano vicini prædio acquiram, vi cujus in gratiam ædium mearum nequeat ædes suas elevare & erigere, non sufficit, quòd ille hucusque non eleverit aut erexerit ædes, quia id ex jure libertatis naturalis, nequiquam sibi nocivo, fecit: deo itaque alicui fortè ædificare volentem, prohibere & impedire; & si is prohibitioni morem gesserit, incipio possidere jus alicui non ædificandi, idque tractu temporis præscribo.

80 E contrario actus affirmativi, quamvis præmissâ prohibitione & secutâ patientiâ tutiorem & firmiorem efficiant possessionem & Præscriptionem, utl. de subditis, imperanti Superiori obtemperantibus, nec longò tempore contradicentibus, demonstrant Authores magni

gni nominis apud Klockium 10. 1. conf. 29. num. 576. & seq. quòd Superiorem in quasi possessione constituent: nihilominus possessionem & præscribendi conditionem tribuere possunt absque prohibitione unius & acquiescentia alterius.

81 Et primò quidem, sicut docet cum Laymano cit. loc. P. König, actus ejusmodi cessant esse facultativi, & præsumuntur obligatorii, si concurrat eorum multiplicitas & continuatio per longum tempus. Rota Rom. in rec. p. 2. dec. 365. n. 3. & 6. & dec. 397. num. 3. Idem attestantur plures

82 apud Klockium cit. conf. 29. n. 575. Deinde post Felinum, Joannem Andream & alios tenet Balbus de Præscript. 4. part. 5. princip. q. 1. num. 2. in prædictis actibus saltem immemoriali Præscriptioni locum esse. Rota p. 3. dec. 389. num. 4.

83 Quæ doctrina, licet à quibusdam rejiciatur, non improbabiler sustineri potest, si cum Decio, Saliceto, & aliis apud Covarruviam 4. loc. ita explicetur, ut ex decursu temporis immemorialis & legitimum initium, & causam, & titulum, & possessionem intervensisse, præsumamus. Card. de Luca de Judic. disc. 21. n. 70.

84 Ad hæc habetur in l. cum de in rem verso 6. ff. de Usuris, usuras eo solum ex capite deinceps esse solvendas, quia longò jam tempore fuerunt præstitæ; non obstante, quòd ex parte solventis opponi potuisset, solutionem usurarum fuisse actum meræ facultatis.

85 Ratio autem horum est: quia una Præsumptio elidit aliam, & fortior enervat infirmior; atque adeò, licet nullus præsumatur, donò gratuitò obligationem imponere sibi voluisse; at tamen si diuturnò tempore præstationes uniformes faciat, ac singulis annis certam pecuniæ quotam determinatè personæ vel loco pendat, alia succedit præsumptio, & quidem violentior, quòd friviles pensationes non ex nudo beneplacito, sed putativâ obligatione processerint secundum expressâ Juris placita in l. cum de indebito in pr. 25. ff. de Probat. ubi in dubio, num pecuniâ soluta debita fuerint, an indebita, si accipiens dicat, fuisse debitas, præsumptionem pro eo esse, qui accepit, Paulus pronuntiat: qui enim solvit, nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet.

86 Neque obstat dictis, si opponas: quòd nullam continet obligationem, non parit ullam obligationem. Sed actus meræ facultatis non continent ullam obligationem: quòd enim tuum v. g. molendinum accedam, quòd huic vel illi loco certas pecunias quotannis consignem, non obligatio sed liberum arbitrium, non necessitas sed mea libertas fuit. Ergo &c.


87 Resp. enim cum distinctione: quòd nullam continet obligationem nec veram nec existimaram aut præsumptam, non potest parere obligationem, concedo majorem; quòd nul-

lam continet obligationem, hoc est, non veram, sed tamen existimaram aut præsumptam, nego majorem. Omnes ferè Præscriptionis species, in acquirendo constitutæ, præsupponunt ex parte illius, contra quem præscribitur, putativam aliquam & existimaram obligationem, uti in cap. 2. à num. 28. probatum est. Aliquæ tamen citius, alia seriùs ejusmodi obligationem præsumunt, prout nempe actus subrepti ingenio sunt magis vel minus gratuiti, magis vel minus habent præjudicium. Nam molendinum v. g. alterius adire, hospitem certis temporibus excipere, sunt actus magis gratuiti, minorisque præjudicii, quam certam pecuniæ quantitatem annuatim solvere: & idè actus prioris generis Præscriptionem immemoriali minorem vix agnoscunt; actus verò posterioris generis, si accedat titulus, vel exprimatè aut præsumatur causa debendi & solvendi, 30. vel 40. annorum Præscriptionem non refugient; de quo in fct. seq. §. 1. & in rom. 2. lib. 3. tract. de Jure propriis. cap. ult. in materia possessionis plura dicemus.

88 Colliges ex decursu & discursu hujus §. modos loquendi, hæc in materia aliis usitato, repisâ à nostro non differre. Nam Balbus 4. part. 5. princip. q. 1. num. 3. ad dignoscendum, quando aliquid dicatur esse meræ facultatis, distinguit ex Bartolo, utrum Lex permitat alicui facere aliquid pro conversatione sui juris, jam quæsitæ; an vero pro acquisitione alicujus juris de novo: prius ait, non esse jus, sed meram facultatem, idèque impræscriptibile; posteriori ad jura pertinere, si que præscribi posse, asseverat.

89 Angelus & alii apud eundem Balbum eodem num. fecerunt facultatem, ex qua per explicationem actus quæritur novum jus, ut actio vel exceptio ab ea facultate, ex qua per explicationem actus nullum jus, nulla actio, nulla exceptio quæri potest, sed solum insurgit explicatio ejus, quod in libero explicantis arbitrio consistebat, sicut est ire ad Ecclesiam: illam facultatem Præscriptioni subferunt; hanc eximunt.

90 Alii apud Gabrielem cit. l. 5. concl. 10. à n. 8. distinguunt inter facultatem, quæ deducit jus in iudicium deducibile, & quæ non deducit: item inter facultatem, quæ expressè est reposita in libera & pura voluntate ejus, cui competit, & quæ simpliciter sine tali collatione conceditur: item inter facultatem, quæ datur ratione juris quæsitæ, & quæ ex mera libertate oritur. In facultate primæ qualitatis affirmant; in facultate secundæ qualitatis negant Præscriptionem. Atque adeò omnes declarationes, distinctiones, & explicationes eò recidunt, quòd res meræ facultatis appellentur, quæ non ex alio, quam libertatis naturalis principio scaturiant.



§. IV.

De Rebus alienari prohibitis.

94 Quartam exceptionem à regula Præscriptionis non pauci, quos ordine recenset Antonius Gabrielius commun. conclus. lib. 5. conclus. 13. num. 1. adduunt in rebus alienari prohibitis: quæ utrum & quatenus Juribus sit consentanea? Impraesentiarum discutendum erit. Prius tamen

95 Sciendum est I. res alienari prohibitas tales esse, vel ex Lege, uti sunt Ecclesiasticæ, feudales, dotales; vel ex dispositione hominis per actum inter vivos aut per ultimam voluntatem factâ, quales sunt res primogeniæ, fideicommissi, aut majoratus vinculo alligatæ: de quibus omnibus & singulis certant Juris Interpretes, utrum à Præscriptione non sint exemptæ, ob textum generalem in l. alienationis 28. in pr. ff. de V. S. ubi, cum alienationis verbum etiam usucapionem continere referatur, legitime deduci videtur, prohibita alienatione etiam usucapionem esse prohibitam. Quod amplius confirmatur ex l. si contra 2. Cod. de Usucap. pro emp. & l. ult. §. 3. Cod. Commun. de Legat. in quibus locis res, fideicommissio obnoxia, aut alienari interdicitur, ab usucapione excipiuntur.

97 Sciendum est II. diversimodas Doctorum opiniones hæc in parte reperiri, quas inter, meo quidem iudicio, eminet doctrina Panormitani in cap. cum non liceat 12. h. t. n. 7. 8. & 9. commendata etiam à Balbo 5. part. 5. princip. 4. n. 2. recepta à D. Brunneo, ad l. 2. Cod. pro Emp. n. ult. & aliis, distinguens, utrum qualitas prohibeat alienationis exordium: Præscriptionis antecesserit, vel super venerit: & hoc quidem casu non sinitur cursus Præscriptionis, jam inchoatæ per l. si fundum 16. ff. de Fundo dotali, ubi Tryphoninus negat, possessionem longi temporis interpellari in fundo, qui, antequam dotalis erat effectus, possideri coepit est.

98 Illud autem casu ulterius perpendendum, si ne res simpliciter alienari prohibita, puta quia ejus commercium aut possessio vetatur, sicut in Ecclesiasticis iuribus respectu laicorum, ex diâ in num. 22. an verò certò respectu, & ut loquitur Brunneo. cit. sub modificatione, hoc est, sine forma, modo & ritu præscriptò, quâ ratione rerum Ecclesiasticarum & feudaliu alienatio legitur prohibita.

99 Res primi generis ob generalem inhabilitatem, d. n. 22. declaratam, præscribi nequeunt. Res posterioris generis, si adsint cætera requisita, à Præscriptione non sunt immunes.

100 Nec refert, utrum ex Legis, vel hominis dispositione interdictum alienationis emanaverit: utroque enim casu Panormitanus Præscriptionem concedit, dum d. num. 9. postquam retulerat sententiam Bartoli, negantis, in prohibitione alienationis, per contractum factâ, Præscriptionem, ob impeditam domini translationem, eandem in dubium

vocat, adducendò rationem in contrarium, quòd, cum pacta privatorum nequeant ordinationes, ob favorem publicum promulgatas, immutate, Præscriptio, utpote in favorem publicum introducta, privatorum pactis impediri non possit. Ut adèd mirer, Balbum cit. loc. scripsisse, quòd Panormitanus contrarium tenuerit, quando prohibitio fieret in contractu.

Sciendum III. ad textum in l. alienationis 28. de V. S. I. ex num. 99. responderi posse, nomine alienationis contineri etiam Præscriptionem, si illa simpliciter & absolutè fuerit concepta, secus si certò respectu & cum modificatione vetita.

II. cum Gonzalez ad cap. de quarta 4. h. t. n. 7. Præscriptionem esse alienationem necessariam, quæ regulariter prohibita alienatione inhibita non censetur.

III. cum Covarruv. in c. poss. p. 3. §. ult. num. 6. & Brunneo, ad d. l. 2. Cod. pro emp. num. 2. prohibitive alienationis Præscriptionem ordinariam tantum, non etiam extraordinariam censi excludam, veluti ex ipsa l. ult. §. 3. Cod. Commun. de Legat. supra in contrarium citatâ, probatur. Quam responsionem esse commuam, perhibent citati apud Gabrielium d. concl. 13. n. 9.

Ratio 104 est: quia Præscriptio ordinaria titulum desiderat; extraordinaria verò non desiderat secundum dicenda in cap. seq. Sed prohibita alienatione vix est, ut titulus adesse possit. Vel enim ille, in cuius gratiam res alienatur, scit, alienationem esse veritam, vel non scit? Si scit; nec titulum nec bonam fidem habet, utpote notorius alienæ rei, ex contractu invalido, possessor. Si non scit; plerumque verfabitur in errore Juris, alienationem inhibentis, qui ad Præscriptionem ordinariam neutiquam prodest.

Dico plerumque: quia prohibitionem, ex dispositione hominis oriundam, cum sit facti, inculpabiliter potest ignorare. Interim si res immobilis fuerit, & alienator saltem prohibitionem alienationis sciverit, tempore ordinariæ ea ex causa non præscribet: quia in alienatore tali causa requiritur bona fides per Auth. mala fidei Cod. de Prae. long. temp.

Sciendum IV. licet tradita in num. 103. 106 ad res omnes, alienari vetitas, pertineant, ita ut ille extraordinariò saltem tempore sint præscriptibiles: speciales tamen adhuc difficultates superesse, primò circa res Ecclesiasticas; secundò circa res feudales; tertio circa res fideicommissio subiectas; quartò circa res dotales; utrum non obstante, quòd cæteris paribus à Præscriptione non sint privilegiatæ, in casu alienationis, contra Legem institutæ, Præscriptionem admittant? Singulas singulorum sententias hic referre, longum; improbare, improbum; refutare, inconsultum foret. Dicam solummodò, quid in qualibet

controverfia ego sentiam; adducam rationes, solvam contraria. Primam igitur questionem aggressurus,

107 Dico I. Res Ecclesiæ, malè alienatæ (id est sine præscriptis conditionibus) à possessore bonæ fidei rectè præscribuntur. Ita Rota Rom. in rec. p. 4. tom. 3. dec. 535. n. 10. p. 19. tom. 2. dec. 454. n. 43. Ita Panormitanus ad d. cap. cum non liceat h. t. n. 9. D. Rath d. cap. 4. affers. 2. lit. A. P. Engel ad tit. 11. lib. 3. Decret. num. 22. Clariff. P. Jacobus Wiestner de alienat. rer. Eccles. part. 2. art. 8. n. 18. contra quosdam, existimantes, posse res malè alienatas, non obstante Præscriptione, à possessore revocari. Probatur. Res Ecclesiæ sunt absolutè præscriptibiles, uti ex cap. 4. c. 6. c. 8. & tot. hoc tit. X. in 6. nemini non apertum & apertum esse debet. Ergo etiam tunc, quando perperam fuerunt alienatæ: partim, quia alienatio juxta num. 101. nisi absoluta & simplex sit, non impedit Præscriptionem ordinariam: partim quia in alienatione, etiam injusta, omnes præscribendi conditiones adesse possunt: partim denique, quia ceteroquin vel nulla, vel rara esset Præscriptio in rebus

109 Ecclesiæ. Si enim alienatio sit valida ac justa, statim in possessorem dominium transfertur; ac per consequens Præscriptione non est opus. Sin verò invalida sit, dominium, quod per actum alienationis transferri non potuit, per auxilium Præscriptionis comparari debet.

110 Neque dicas: Præscriptionem posse extra casum illicitæ alienationis occurrere, si nempe res Ecclesiæ non propria sed aliena debitis modis solennitatis vanaet. Nam, ut omittam, quòd res aliena proprie loquendò non sit Ecclesiastica: querere licet, quomodò res Ecclesiæ aliena evaserit nisi per alienationem, jam ab anterioribus possessoribus injustè interpositam? Aliâ enim viâ nunquam aut rarò res ab Ecclesiâ ad alium devolvitur, quam viâ alienationis. Ergo, ne titulum de Præscriptionibus incassum Decretalibus insertum; ne tot constitutiones Pontificias dicis tantum gratiã editas fuisse admittamus, affirmemus oportet, dari in rebus Ecclesiasticis, sinistrè alienatis, Præscriptionem.

112 Oppones I. In cap. hoc consultiſſimo 2. de Reb. Eccles. non alien. in 6. Gregorius X. alienationes rerù Ecclesiæ, sine forma prænitata attentatas, ita annullavit, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent. Cui sanctioni affinis est Bulla Pauli IV. quæ incipit Injunctum, pridie Idus Julii 1555. publicata, prohibens ac vetans, ne exceptio Præscriptionis contra repetitionem rei malè alienatæ opponatur. II. Res pupilli, malè alienatæ, neque ordinariam neque extraordinariam Præscriptionem recipiunt per l. si cui 3. Cod. de Prae. 30. vel 40. annor. Ergo nec res Ecclesiasticæ: quia Ecclesiæ utuntur jure pupillorum arg. c. 1. de Refit. in integr. & eorum, quæ habet P. Engel de Privil. Monast. privil. 38.

Respondent ad I. aliqui I. decisionem 114

cap. 2. accipiendam esse de possessore, qui est in errore Juris, ignorans, ad legitimam rerum Ecclesiæ alienationem certas solennitates requiri: & quia error Juris officit Præscriptioni saltem ordinariæ, Ecclesiæ verò aliam non agnoscit, quàm extraordinariam, res Ecclesiasticas cum simili errore 40. annis præscribi non posse. Sed Resp. melius II. cum P. Engel. solam Præscriptionem, malè fide vitiatam in d. c. præscribi, quando nempe in rerum Ecclesiasticarum alienatione utroque contractuum sciente & consentiente omiffa quidem fuerunt solennitates, justum tamen pretium, & reliqua, de jure Gentium & Nature ad valorem contractus requisita, interveniunt. Et, ne responsionem hanc quasi 116

Domitianam suspiceris, utpote de casu non dubitato redditam, dum alias Præscriptiones cum mala fide jam in cap. ult. h. tit. ex urbe & orbe fuerunt relegate: rescire te velim, in sententia, quam capto seq. sect. 1. §. 3. amplectemur, non alias Præscriptioni malam fidem nocere, ac quæ peccato injustitiæ est involuta.

Jam verò plures & Theologi & Canonistæ, in specie Navarrus, Sylvestre, Azorius, Panormitanus, Laymannus apud Magnif. P. König ad tit. 13. lib. 3. Decret. n. 30. contendunt, alienationem non solennem, Ecclesiæ tamen utilem, esse validam in foro conscientie, ac à restitutione tamdiu liberam, donec per Judicem Ecclesiasticum ut nulla fuerit declarata: eamque sententiam, quamvis non sequatur, non tamen improbat P. Engel ad tit. num. 19.

Ergo non improbabiler dici possit, malam fidem in casu utilis, sed tamen illicitæ alienationis, Præscriptioni neutiquam reluctari. Hinc itaque sententia obviatur Pontifici, decrevit, alienationem, cum utriusque contractuum scientia illegitimè peractam, non tribuere causam præscribendi, esto fortassis possessor ante sententiam Judicis rem alienatam sciret retineret.

Bullam Pauli IV. quod attinet, illa inprimis tantum loquitur de Præscriptione longi temporis; deinde, cum multæ ex illa subirentur querelæ, fuit à Pio IV. in sua Bulla, quæ incipit Provida. 3. Idus Septembris 1560. editâ, ad terminos Juris communis etiam in puncto Præscriptionis revocata.

Ad secundum 2. negando conseq. & paritatè.

Utitur Ecclesiæ jure pupillorum, ubi est causa & rationis paritas; ac causa & ratio eximendi res pupillares ab omni Præscriptione, erat imbellis & imbecillitas pupilli, alienò, & idèò periculosò ductu & imperiò gubernanda; quæ causâ & ratio in Ecclesiâ, utpote à Prælato, qui propter identitatem & connexionem ac incorporationem cum Ecclesiâ, ejus est Caput, res Ecclesiæ velut proprias curare præsumitur, administrandâ, non reperitur.

Præterea cum res pupillares solummodò durante pupillari ætate, quæ respectivè compendiosò ambitu concluditur, privilegio immunitatis gaudet; sufficit Ecclesiis

Ecclesias, dum per obitum vel resignationem Prælati vacant, sicque pupillorum in modum patre & pastore carent, in tantum esse privilegiatas, ut Præscriptio interim dormiat, usquequod novus in Prælatu successor subsequatur.

122 Sufficit quoque, Ecclesias in tantum esse privilegiatas, ut Præscriptio dormiat tum eò tempore, quò Prælatu male alienans vel in vivis, vel in regimine est constitutus *cap. si Sacerdos 10. XVI. q. 34. tum eò spatio, quò Prælatu sine per mortem sive resignationem sive depositionem vacat cap. de quarta 4. h. 1. Secus Ecclesie in perpetuum immunitatis privilegio fruenter, quò Jura minimè ferunt, dum etiam contra Ecclesiam Romanam indulgentiam Præscriptionem centenariam. Hæc de rebus Ecclesiasticis. Jam de feudibus.*

123 Dico II. feuda, absque consensu domini & agnatorum male alienata, tam quoad dominium utile quam directum à bonæ fidei possessore 30. annorum spatio præscribi possunt. Conclusio est contra multos, Harprechtum, Zafum, Clarum, Andream de Ifernâ, Fachinæum lib. 7. contrav. 61. Vultcium de Feud. lib. 1. cap. 9. n. 22. Hornium *Jurisprud. feud. cap. 11. §. 11. D. à Somering in Manip. Contrav. p. 2. contr. 6. num. 6.* Equè tamen à multis propugnatur, è quibus legi *Glossam in cap. 1. §. præterea de cap. corrad. Menochium consil. 143. num. 20. Balbum de Præscrip. 4. part. 4. princip. quest. 12. num. 10. Struvium Syntag. Jur. feud. cap. 13. aphor. 10. num. 4. Haunoldum de F. & F. rr. 9. cap. 5. contr. 8. num. 693. in fine. Gallium l. 2. O. 160. Rosenthal de feud. cap. 9. concl. 97. num. 19. qui duo ultimi de communi deponunt.*

124 Probatur I. ex regula generali in n. 1. positâ, omnes res ac Jura Præscriptio esse privilegiata, quæ peculiarem Legis exemptionem non habent. Sed feuda nullibi specialem exemptionem habent, præterquam in 2. feud. tit. 40. §. præterea & tit. 55. ut volunt Adversarii, cujus tamen contrarium patebit à n. 130. Quin imò in 2. feud. tit. 26. §. si quis 4. Feudista absolutè in feudis Præscriptionem concedit, si quis nempe rem aliquam ut feudum possedit, & servitium præstiterit, quamvis de illa re non sit investitus. Neque distinguit, utrum per alienationem aut modum alium feudum acquisiverit. Ergo nec nostrum erit distinguere. Ergo feudum absolute potest præscribi.

125 Probatur II. extra casum alienationis potest in feudo non tantum dominium utile, sed etiam directum præscribi, si erit ex bono feudali allodiali: si enim vasallus aut ipsemet bonâ fide feudum ut allodium possideat, atque domino, servitia petenti, denegat, isque per 30. annos acquiescat; aut si vasalli hæres bona feudalia ut allodialia vendat bonâ fide, & emptor in possessione tricennaria persistat, utrumque dominium, utile ac directum, consolidatur, sicque ex feudo allodium, prout isti & alii casus pro indubitatis habentur à Panormitano ad

cap. ad audientiam 13. h. 1. num. 17. Balbo cit. loc. & q. n. 15. Struvio ubi supra cap. 13. aphor. 3. num. 5. 6. 7. 8. & 9. Ergo etiam, interveniente alienatione, potest res feudalis quoad dominium utile ac directum præscribi: ut enim extra alienationem omnes Præscriptio nis dotes accedere possunt; ita cum alienatione: nisi ipsam alienationem Præscriptio nis impedimentum & obstaculum ex natura sua nominaveris, quod tamen jam superius in num. 101. recantatum est.

Obtendunt Adversarii textum, suâ opinione insolubilem ex 2. feud. tit. 55. in princ. ubi Fredericus Imperator diversissimis verbis omnem in feudis, male alienatis, Præscriptio nem è medio tollit: *nos autem, inquit Augustissimus Legislator, pleniorum Regni utilitatem providentes, non solum imposterum, sed etiam hujusmodi alienationes illicitas hæcenus perpetratas hæc præsentis sanctione cassamus, & in irritum deductimus, nullius temporis Præscriptione impediuntur, quia, quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet.*

Neque juvat dicere, hujus Imperialis sanctionis vigore solummodo Præscriptionem ordinariam fuisse sublatam, quâ recitatorum verborum: nullius temporis Præscriptione, sensus foret: nullius ordinarii temporis Præscriptione.

Contra enim instat I. Fachinæus, quòd alienatio & Præscriptio feudorum jam ante tempora Frederici ex *Legge Corradi 2. Feud. 40. §. præterea*, ibi: licet omnes alienationes feudis factas nulla obstante Præscriptione revocare, fuerit irritata; idèquè constitutio Fredericana, ut aliquid operetur, de Præscriptione longissimi temporis exaudiri debeat: maxime cum subjuncta ratio, *quod ab initio non valet &c.* tam longi quam longissimi temporis Præscriptioni accommodari valeat. Instat II. Vultejus de feud. d. lib. 1. c. 9. n. 20. Longobardis, quibus origo feudorum in acceptis refertur solet, Præscriptionem non aliam quam 30. annorum fuisse cognitam; proindeque textus feudales de non alia quam 30. annorum Præscriptione accipiendos. Nihilominus

Resp. I. communem responsum, quæ constitutiones feudales, mox relatas, ad Præscriptionem ordinariam restringit, ratione non destitui: in dubio namque, ubi de mente Legislatoris certò non constat, interpretatio potius secundum quam adversus Jus commune faciendâ. Sed secundum Jus Communis regulam omnia Jura publica & privata, Præscriptioni tricennariæ subsunt. Ergo secundum hanc juris regulam interpretandæ constitutiones feudales, quarum proximè meminimus: cum ipse Feudista 2. feud. tit. 1. id non ambigue insinuet, ubi ait: *Strenuus autem Legislatoris, sicubi casus emergerit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumniam nisi poterit Legge scriptâ.* Neque enim credendum est, voluisse Imperatorem totam extraordinariæ Præscriptionis, à suis Antecessoribus ad universale Reipublicæ emolumentum

tum tot vigiliis excogitata, vim ac vigorem unò quasi halitu ac verbulo enervare. Ut taceam, quòd ex mente Menochii lib. 3. præsup. 130. num. 6. & seqq. & præsumpt. 132. per totam, Præscriptio longissimi temporis vim Legis obtineat, & consequenter, nisi expressa ejusdem mentio afferatur, in dubio exclusâ non videatur.

133 Ad primam instantiam dico, stante etiam nostrâ sententiâ, suam Fridericianâ ordinationi operationem esse, dum, præter confirmationem Corradianâ Legis, insuper declarat, quinam contractus & actus vocabulo alienationis veniant; simul robur ac pondus etiam ad negotia jam præterita, & alienationes retrò celebratas, easdem uti futuras invadendò, extendit.

134 Ad secundam permitto equidem, Longobardorum, sive, ut abbreviatè vocant, Lombardorum populis, eorumque in Italiam irruptionibus feudorum natales adscribi, quam opinionem communem, & quasi canonizatam pronuntiat Clariss. & Colend. D. Collega de Wolleren in *Quest. select. Oeniponti edit. q. 4. n. 12.* nego tamen, solum 30. annorum Præscriptionem Longobardis in usu extitisse: cum in feud. tit. 9. §. *danare* etiam annalis Præscriptio visibilis appareat.

Et quid interest, Longobardis solum hujus temporis Præscriptionem placuisse, quando indubium est, allegatam constitutionem, sicut & alias plures, non à Longobardis promanasse, sed ab Imperatore, qui Juris Romani & communis notitiam in serinio pectoris sui habere arg. cap. 1. de Constit. in 6. & magis secundum principia ac terminos proprii quam alieni Juris statuere censetur?

136 Resp. II. conformiter ad num. 41. cum Struvio d. cap. 3. aphor. 10. num. 4. in d. constitutionibus non bonæ, sed malæ fidei Præscriptiones cassari: nam præsumendum de Legislatore non est, quòd impensius negligentia domini, non vindicantis, quam bonæ fidei possessoris, qui ignorans feudum fortè emerat, favore studuerit. Quod amplius enitescit ex subjuncta ratione, in d. tit. 55. quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet: loquitur enim Imperator de Præscriptione, in qua solus lapsus temporis attenditur, cujusmodi est ea, quâ possessor matris fidei utitur: imitatoris forsitan hac in re non antecessores suos, qui Præscriptionem cum mala fide permiserant, sed coæternum suum, Alexandrum III. Sanctissimum Ecclesie Romanæ Governatorem, qui in cap. 5. h. 1. ejusdem notæ Præscriptiones proferri non potest notavit.

137 Certè hinc Principi insolitum non erat, Sacros Canones imitari: quia testibus Contio & Giphano, à Struvio allegatis, Authenticam Sacramentâ Puberum, quæ & ipsa inter Friderici I. Imperatoris constitutiones 2. feud. §. 3. refertur, ex Jure Canonico emutuavit; & in Authent. *Statimus* Cod. de Episcop. & Cleric. expressè Canonice sanctionem meminit. A feudo ad fideicommissum transeuntis,

139 A feudo ad fideicommissum transeuntis, P. SCHMIDT JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

Dico III. res, fideicommissò gravatæ, seu restitutioni ex fideicommissò obnoxie, in casu injustæ alienationis non quidem longò, longissimò tamen tempore præscribuntur. Conclusio est bimembris; cujus probationi præmittendum, fideicommissum, sive majoratus, sive primogenitura sint, eam esse naturam, ut, tamen ab institutore expressè non sint prohibita alienari, alienationem nihilominus refugiant, per textum in l. ult. §. 3. Cod. Commun. de Leg. Covarruv. ad cap. possessio p. 3. §. 3. n. 6.

Cum enim possessori nunquam plena dispositio ab institutore sit permilla, sed potius obligatio imposita, rem fideicommissariam post obitum vel cessionem certis personis relinquendi, vel ob conservationem familiæ, vel specialem institutoris affectum: alienatio in fraudem & præjudicium agnatorum seu illorum, qui ad fideicommissum sunt vocati, non tenet in l. nihil proponi 120. §. 1. ff. de Leg. 1. d. l. ult. §. 2. Cod. Commun. &c. Quòd præmissò,

Primum conclusionis membrum, esto Juvenetari potuisset in dubium vocari propter l. sticho 36. ff. de Usu & usufr. leg. ubi usufructus fideicommissarius, contra prohibitionem testatoris in alium translatus, ac plusquam statuto tempore possessus, adjudicatori possessoribus; de Jure tamen noviori non tantum ab omnibus ferè Juris utriusque Interpretibus receptum, veluti Covarruv. in l. concl. 1. refert, sed etiam indubitatum videtur, ut probat l. si contra 2. Cod. pro Empt. & cum primis d. l. ult. §. 3. Cod. Commun. de Legat. cujus hæc est sententia: *si autem (hæres fideicommissò gravatus) avaritia cupidine propter spem conditionis, minime implenda, ad venditionem vel hypothecam profuerit: sciat, quòd, conditione impleta ab initio causa in irritum devocetur & sic intelligenda est, quâ nec scripta nec penitus fuerit celebrata: ut nec usucapio nec longi temporis Præscriptio contra legatarium vel fideicommissarium procedat.*

Quæ Lex, cum sit una ex 50. de conditionibus Justiniani Imperatoris, sicut tam ex inscriptione ad Joann. PP. quàm subscriptione post Consul. Lamp. & Orestii PP. Consul. §. 2. item ex verbis initialibus dubitabat inter veteres &c. liquet, & tenet Clariss. D. Dominicus Bassus in præclaro opere de 50. Decisionibus Decis. 40. utique potuit & voluit Juris antiqui, si fuisset contrarium, placita abrogare.

Nolim tamen cum Covarruvia d. lac. dist. 145 stinguere, an res fideicommissaria alienata à primo & immediato possessore retineatur, an à secundo & mediato, ac Præscriptionem ordinariam in prima tantum, non secunda facti contingit approbare: velim potius cum Philippo Knippshildt tract. de fideicommissis fam. lib. 1. cap. 12. num. 89. indistinctè omnem longi temporis Præscriptionem in quacunque alienatione exulare: quia in d. l. ult. §. 3. Cod. Commun. de Leg. in §. 2. absolutè interdicitur rei fideicommissariæ, ceu alienæ, alienatio; ita ut ex doctrina citati Authoris prohibi-

prohibito ipsimet rei inhæreat; & in §. 3. immediatè seq. rei forsan alienatæ, longi temporis Præscriptio, fideicommissario obliçienda, excluditur; & in fine datur fideicommissario generalis potestas, rem vindicandi & sibi assignandi, nullo obstaculo ei à detentoribus opponendo: neque distinguitur, quis ille detentor fuerit, an in illum immediatè vel mediatè res per alienationem devenerit: ergo nec nostrum erit distinguere.

147 Alterum conclusionis membrum, quod amplectitur idem Knippshildt d. cap. 12. n. 9. cum pluribus ibidem nominatis, Covarruv. cit. §. 3. n. 6. concl. 2. P. König ad h. l. num. 23. Arnoldus Rath cap. 4. assert. 11. qui hanc sententiam vocat communissimam & verissimam; præter dicta in num. 103. probatur ex eo, quod Præscriptio, utpote regulariter in omni re & jure concessa, in tantum sit abolita, in quantum est expressa. Sed in d. l. ult. §. 3. tantum est expressa Præscriptio longi temporis. Ergo tantum Præscriptio longi temporis est abolita, non etiam Præscriptio longissimi temporis, ut quæ aliàs ad omnia jura porrigitur. Et quamvis in d. l. ult. in fine omnis licentia vindicandi tribuatur fideicommissario, nullo obstaculo ei à detentoribus opponendo, eaque ex consideratione pro contraria sententia Anno 1640. à Tubingensibus responsum fuisse datum, memoret D. Rath cit. assert. 11. idem tamen ibidem contrariam huic sententiam decisionem à Facultate Juridica Ingolstadtensis repositam refert; & merito: cum nec incivile, nec infuetum sit, generalia textus verba ex specialibus limitare & explicare; & idèd h. omnis licentia, & h. nullo obstaculo in d. §. 3. ad casum Præscriptionis ordinariæ, de qua sermo fuerat, coartare, rectè interpretandi ratio suadeat.

148 Dico IV. Res dotales, tam immobiles quam etiam mobiles, nullam Præscriptionem admittunt, durante matrimonio inchoatam. De rebus immobilibus conclusio est indubia apud omnes, propter l. in rebus dotalibus 30. Cod. de Jure dot. ubi dicitur: omnis temporalis exceptio, sive per usucapionem inducitur, sive per decem, sive per 20. annorum curricula, sive per 30. vel 40. annorum metas, sive ex alio quocunque tempore majore vel minore sit introducta, ea mulieribus ex eo tempore opponitur, ex quo possunt actiones movere, id est, opulentes quidem maritis constitutis, post dissolutum matrimonium, minus autem idoneis, ex quo hoc infortunium eis illatum esse claruerit.

149 De rebus vero mobilibus conclusio quidem est controversa inter DD. à pluribus tamen approbata, speciatim Brunnem. ad d. l. 30. n. 13. & 14. Rath assert. 10. Clariff. D. Franz

ad h. l. n. 19. contra Baldum, Bachovium, & alios. Cujus ratio est l. ex eadem l. in qua perspicue omnis exceptio cessare dicitur, sive major sive minor sit decennio. Atque Præscriptio minor decennii est triennalis, spectans ad solas res mobiles. Ergo &c. II. 150 In d. l. in principio Imperator constituit, in rebus dotalibus, sive mobilibus, sive immobilibus vindicandis, post dissolutum matrimonium mulierem omnem habere prerogativam; & parvò post intervallò omnis Præscriptio excluditur, adversus mulierem, stante matrimonio opponenda, absque ulla expressione, sive res mobilis, vel immobilis. Ergo æquè in rebus mobilibus ac immobilibus est exclusa. III. 151 Est omnimoda paritas inter res mobiles & immobiles: idèd enim quoad istas mulier non formidat Præscriptionem, quia stante Matrimonio agere impeditur d. l. 30. V. ex quo possunt actiones movere. Sed etiam quoad illas, seu mobiles, agere impeditur, cum perinde ac immobiles in dominio mariti transeant. Ergo &c.

Limitanda tamen est conclusio I. ut solum 152 in rebus mobilibus procedat, quæ servando servari possunt, quales sunt vasa aurea, argentea, artificiosa, margaritæ, cimelia, uniones &c. non item in illis mobilibus, quæ fungibiles vocantur, seu pondere, numero, & mensurâ constant: sicut enim probabilior, & atque inter veteres & novos practicos teste Brunnem. ad l. res in dotem data 42. ff. de J. D. receptor sententia est, res fungibiles posse à marito licitè & liberè alienari, non etiam servandò servabiles per d. l. res in dotem, ubi specialis rerum fungibilium expressio inserit ceterarum exclusionem, quoad potestatem alienationis: ita probabilior etiam videtur, quòd rerum fungibilium, non item ceterarum, plenum dominium ad maritum pertineat; & consequenter ob defectum rationis tertiar, primùm adductæ, res fungibiles nullò quoad Præscriptionem favore potiantur. II. ut non obtineat in rebus paraphernalibus, 154 seu extra dotem consistentibus: harum enim dominium absolutum, cum panes uxorem remaneat, earumque nomine & agere & conveniri possit, exemptionem à Præscriptione non meretur. Covarruv. lib. 1. var. resol. c. 8. num. 8. III. ut aliud statuatur tam in rebus 155 mobilibus quam immobilibus, quando, labentibus facultatibus, maritus incipit vertere ad inopiam: nam uxor, cui pro illa circumstantia plenissima experiendi licentia legitur indulta in l. ubi adhibe 29. Cod. de J. D. extraordinariò Juris privilegio digna non videbatur l. in rebus dotalibus 30. Cod. eod.

SECTIO II.

De Obligationibus & Actionibus quibusdam personalibus.

SUMMARIÆ.

156. & seq. Transitus ad præsationes annuas.

158. & seq. Si continentur uniformiter, cer-

ta ex causa, per longum tempus, operantur præsationem tituli. 165. & seq. Non autem

Præ-

Præscriptionem. 169. & seq. Si continentur explicatò modo per tempus longissimum, Præscriptionem inducunt. 172. & seq. Si continentur per tempus immemorabile, Præscriptionem sine expressione causa parant. 174. & seq. Duo collectanea. 179. & seq. An etiam obligatio Missas applicandi per Præscriptionem intraduci valeat? Rationes dubitandi proponuntur. 183. & seq. Assertur, & probatur negativa. 189. & seq. Rationes dubitandi refutantur. 194. Digressio ad extinctionem præstationum annuarum. 195. & seq. Adducitur l. 7. §. ult. Cod. de Præs. 30. annor. & referuntur diversa DD. placita. 199. & seq. Concluditur, quòd unica Præscriptio sufficit, si præstationes annue debeantur ex actu inter vivos. 203. & seq. Prima probatio ex generali regula in l. 3. Cod. d. t. 210. & seq. Altera probatio ex l. 26. Cod. de Usur. una cum relatione & enumeratione responsonum con-

trariarum. 218. & seq. Tertia ex paritate usufructus. 224. & seq. Quarta ex unitate actionis. 230. & seq. Quinta ex decisione Juris Canonici. 239. & seq. Eadem conclusio tenetur & probatur in obligationibus annuis ex ultima voluntate. 242. & seq. Dilucidatur d. l. 7. §. ult. 350. & seq. Tres objectiones alio moventur, & remouentur. 261. & seq. Progressus ad jus lœndi pignoris. 265. & seq. Admittit Præscriptionem, debiò necdã solutò. 271. & seq. Argumentum contrarium, quòd actio non sit nata, præsteritur. 284. & seq. Alterum argumentum de defectu possessionis rejicitur, & ostenditur, quòd debitor remansat rei vindicatio. 291. & seq. Agitur de jure retrahentis. 293. & seq. Non refugit Præscriptio tricenariam, quando simpliciter est reservatum. 296. & seq. Ius etiam, sicut per totum reservetur. 298. & seq. Objecta diluuntur. 305. & seq. Examinatur Præscriptio in delictis.

§. I.

De acquisitione annuarum præstationum per lapsum temporis.

156 **P**osteaquam de rebus ac juribus præscriptibilibus in genere præcedentem Sectionem absolvimus, lubet modò ad res & jura præscriptibilia in specie transire, ac primò quidem de acquisitione annuarum reddituum seu præstationum, vulgò per Einnemung Jährlicher Rendten / Zinsen / Pachten / Schuldgelten / u. quæstionem, æquè in theoriam difficilem, ac in praxi frequentem ad statum Juris appendere, possint solò & quàm diuturnò temporis intervallò comparari? 157 Ubi plurimùm interest, præcise, fuerintne præstationes uniformes, puta, quòd singulis annis eadem quantitas sit præstita, nec ne? Item processerintne præstationes illæ ex causa certa ac specifica, v. g. ex jure conventionis, transactionis, subjectionis, an verò ex causa incerta? Ex hac enim præscientia definiendè erit, quantum temporis spatium ad ejusmodi Præscriptionem requiratur. Definitio itaque, & 158 Dico I. Annua præstatio, uniformiter & certa ex causa longò tempore continuata, inducit præsumptionem veræ causæ & tituli. Ita post Bartolum, Salicetum, Alexandrum, & alios Balbus l. p. 3. princip. 4. 10. num. 20. Covarruv. p. 2. Releli. cap. possess. §. 4. num. 2. Gilken de Præs. p. 2. M. 1. cap. 4. a. num. 17. Menochius lib. 3. præsumpt. 131. num. 58. & 59. Vasquius contro. usurar. lib. 2. cap. 61. num. 3. 159 & cap. 84. a. num. 31.

Ita Imperator Antoninus Lœndis in rem verso 6. in pr. ff. de Usur & fruct. determinat, dum de usuraria præstatione ita loquitur: cum de in rem verso cum herede patris vel domini ageretur: Imperator Antoninus idèd solvendas usuras judicavit. quod eas ipse dominus vel pater longò tempore NB. præstisset. 160 Sensus est: cursum longi temporis sufficientem præbere conjecturam, usuras non ex liberalitate, sed necessitate fuisse præstas: quòd ex dictis in num. 58. & seq. nemo sumum prodigere, nemo tam grande sibi onus gra-

tuitò imponere, sed potius ex præcedente causa & titulo debitum extolvere, præsumatur. Ita Rota Rom. in recent. p. 4. to. 2. dec. 153. num. 19. & seq. & p. 7. dec. 57. num. 1. 2. & 3. Quod confirmari potest l. ex l. libris 22. Cod. 161 de Agricol. & censu. lib. 11. ubi ex præstatione annua, per longum tempus prorogata, infallibilis desumitur præsumptio, quòd accipiens dominium, dans verò obligationem coloni habeat. II. ex allegato Menochio, qui 162 num. 60. quadruplicem rationem d. l. cum de in rem verso adducit. I. respicit solventem, & sic causam: quia nemo præsumitur jactare suum: solvens ergo præsupponit, & affirmat obligationem. II. respicit finem: nam solutio hæc decennialis facta est ad liberationem obligationis; atque ita illam supponit. III. respicit matetiam live causam: cum enim solvitur ut debitum, præsupponit materiam & causam debiti. IV. ratio respicit formam: nam reiteratio frequens inducit frequentem recognitionem, cui contravenire non licet arg. l. generaliter 13. Cod. de N. N. P. Rectè igitur ex annua præstatione, uniformiter & certa ex causa longò tempore continuata, præsumptio veræ causæ & tituli inducitur.

Dixi uniformiter & certa ex causa. Alteru- 163 trum enim si deficiat, deficit fundamentum inferendi seu presumptionis seu Præscriptionem. Nam præstationum difformitas, in hoc constituta, quòd unò annò 10. in altero 13. in tertio 6. præstantur. reddit possessionem accipientis discontinuam. Defectus autem certæ ac specificæ causæ, advertente Balbò cit. quest. n. 23. vel idèd officit: quia Legum præsumptiones non adaptantur ad ea, quæ incertam habent formam erogationis. Imò, arguit idem Balbus, præstatio non debet velle operari quàm stipulatio: at hac sine expressione causæ non valet l. palam est 2. §. 3. ff. de Doli mali & met. except. ergo nec præstatio.

C c 2

Dixi